
…s: Quaestio de natura ventorum.

# QVÆSTIO
## DE
# NATVRA VENTORVM,
*QVAM*
In Alma Academia Cracouieñ,
PETRVS DAMBROWSKI
Artium liberalium M. & Philosoph. Doctor,
*Publicè*
ad disputandum proponet.

*Anno D. MDC. XXIII. Mense Martio. Die* 27
Hora 12 Permissu Superiorum.

CRACOVIÆ,
In officina Typogr. Matthiæ Andreouiensis.


DOMINVS ILLVMINATIO MEA. IOANNES FOXIVS ARCH. CRAC.S.S
I F

PERILLVSTRI

&

*AMPLISSIMO VIRO*

# D. IOANNI FOXIO, I. V. D.

## Archidiacono Cracouieñ, Scarbimirienſi Scholaſtico, Sedis Apoſtolicæ Prothonotario, &c. &c. Domino & Mecænati colendiſſimo:

*M.* PETRVS DAMBROWSKI S. P. D.

ACademicæ legi dum ſatiſfacio, Ampliſſime Domine, è Philoſophiæ adytis ſecretioribus, hanc, præ cæteris, de Ventis diſquiſitionem propono. Etenim leuium horum ſpirituum inconſtantiam, viciſſitudinem, vehementiã, originem penitius inſpicienti, mox venit in mentem, hæc in earum rerum claſſe reponi debere, quarum cauſas, maxima ex parte ignorari, admirariq; potius, non vſquequaq;

penetrare humanum intellectum, natura voluit. Ecquis enim eſt adeò benigno ſydere natus, cui contigerit, cur venti, in magna copia, maximo impetu, velut vinculis exoluti, foras erumpant, terram vix ferendo flamine exerceant, impunè graſſentur, dilucidè manifeſtum facere, eiuſq; rei cognoſcēdæ ſitim ſedare, licet plurimi vltrà modum in eo deſudarint? Ideò liceat applicare illud veriſſimum, quia diuinum, eloquium: Spiritus, vbi vult ſpirat: vocem eius audis; at vnde veniat, ignoras. Nec minùs ex vero, quòd, quantò plus laborauerit homo, ad quærendum inuenire rationes eorum omnium, quæ fiunt ſub ſole, tantò minus inueniat. Ea porrò produci debuit, non niſi ſub Amplit. Tuæ nomine, ſiue beneuolentiam, quam in me abundè cōfers, imò cumulas, attendo; ſiue contemplor honoris culmen, ad quod Te Virtutis & Doctrinæ meritum euexit. Nempe Tu Ampliſſ. Domine ille es, cuius integritas, ſingulari ingenio & virtuti coniuncta, ita principum vi-

rorum

rorum oculos perſtrinxit, & eorum Tibi conciliauit amorem, vt, cùm omni Te munere digniſſimū ducant, tùm verò libenter, tranſlata in Te grauiſſimorum negociorū parte, releuentur. Singularis certè, & innata erga literarum cultores propenſio, omnium affectum in Te prouocauit: meum certè, (quoniā hoc quoq; argumentum eſſe placuit eximiæ humanitatis Tuæ, & prouehendarum, in quibus maximè excellis, voluntatis literarum, me ornandum, augendum, tuendum, & re ipſa iuuandum ſuſcipere) æuiterno obſequio Amplitudini Tuæ deuinxit. Accipiet igitur Amplitudo Tua, exiguum hoc quidem, at fidum & ſincerum animi mei, incredibili cupiditate ſibi obſequendi flagrantis pignus, iucunda & ſerena frōte. Viue Mecænas digniſſime perpetuò fælix, ſolitamq; Tuam in me perenna gratiam & beneuolentiam. E Contubernio Iuriſp. xv. Calend. Apr. Anno M DC XXIII.

# QVAESTIO.

V. Ventus, ſit exhalationis motio; eaq́; ob ſui à mediæ regionis áèris frigiditate protruſionem & reſultantem impetum, tanquam cauſam efficientem propinquam, obliqua: eiuſq́; ſpecies ſuis affectionibus & qualitatibus, in regiones ſibi peculiariter expoſitas, certos effectus edant, necne?

## CONCLVSIO I.

Ventus, eſt exhalationis per áèrem motio ſeu agitatio obliqua.

## COROLLARIA.

1. *Materia ventorum non eſt vapor, aut exhalatio cum dominio vaporis, ſed exhalatio in qua caliditas & ſiccitas dominantur.*

Con-

# Corollaria.

2. *Exhalatio quæ Venti corpus constituit, licet sit ignea ex eo, quia calida & sicca: exhalatio tamen sicca primò ventum constituit.*

3. *Exhalatio hæc, cùm genita est, quin etiam sursum euecta, non adhuc vẽtus est, sed donec obliquè incipiat ferri.*

4. *In motu Venti, àèr est tale medium, vt nisi exhalatio per àèrem moueatur, tanquam per proprium medium; nisiq; ipsum pellat ac moueat, ventus nullus oriri possit.*

5. *Huius communis motus, exhalationis scilicet & àèris ratione fit, vt nomine àèris ac motus ipsius, totum aggregatum nempe exhalationem & àèrem, non nunquam intelligat Arist: & àèrem pro exhalatione, contraq; exhalationem pro àère sumat.*

6. *Errarunt veteres, quemlibet àèris motum, simpliciter & absolutè ventum esse statuentes.*

# Conclusio II.

Protrusio exhalationis à frigiditate mediæ regionis aëris, ac eiusdem resultans impetus, est proxima efficiens causa obliquæ motionis Venti.

# Corollaria.

1. *Locus generationis venti, est ima pars mediæ regionis àèris, & suprema infimæ.*

2. *Remo*

2. *Remotior efficiens causa venti, est calor cùm aliorum siderum, tum solis præcipuè, isq; temperatus, talem exhalationem educens.*

3. *Maior minorue impetus Ventorum, respondet vehementiæ, qua exhalationes sursum ascendunt, & à media regione äeris desiliunt.*

4. *Sicut ad generationem, ita & incitatiorem motum ventorum, multum conferunt peculiares certorum astrorum configurationes & influxus.*

5. *Obliquam venti motionem, adiuuari à principiorum exhalationem constituentium, nempe leuitatis & grauitatis, æquilibrio, ex mente Theophrasti asserimus.*

6. *Non improbabile est quod dicit Heron Alexandrinus, äeris motionem, non per omnem locum æqualis esse celeritatis: sed iuxta ipsam exhalationem, vehementiorem celerioremq; ; imbecilliorem verò, cùm longiori ab eo loco digressa fuerit.*

## Conclusio. III.

Dantur venti Species quibus certæ affectiones & qualitates debentur.

## Corollaria.

1. *In numero & Speciebus Ventorum assignandis, licet non vna sit Physicorum, Medicorum, & Geographorum*

 senten-

*sententia: tamen, & hæc varietas omni vacat culpa, & omnium consensu receptum est, quatuor esse principes & Cardinales Ventos, è quatuor mundi partibus, seu angulis præcipuis spirantes: videlicet Subsolanum ab ortu; Fauonium ab occasu; Austrum à meridie; Septemtrionem à polo Arctico.* Galenus octo Ventos posuit: Aristoteles decem vel vndecem: Latini veteres, Plinius potißimum & Varro, duodecem statuunt. Geographi recentiores & Nautæ, duos & triginta numerant. ☞ Præter hos sunt tres potißimùm turbulenti flatus, qui in quacunq; regione excitari possunt: Ecnephias, Typho seu Turbo, & Præster. Sunt & Venti determinati ratione temporis exortus eorum: vt Etesiæ, post Caniculæ exortum flantes: & Ornithias, qui & Chelidonius, circa Nonas Martii spirans. Sunt deniq; Venti, certis regionibus & Prouinciis peculiares, nec vltra eum tractum prodeuntes.

2. *Ventorum species, licet à Philosophis descriptæ sint pro iis, qui habitant sub Æquatore: possunt tamen accommodari nobis zonam temperatam inhabitantibus, si non puncta ortus vel occasus, sed potius tractus, aut terræ partes tractibus illis subiectas, intelligamus: Vnde Eurus & Africus, à brumali ortu & occasu prouenire dicuntur, quia ex eo cæli tractu, & ex ea terræ parte, à qua nobis sunt ortus & occasus hyberni, oriuntur.*

3. *Omnes Venti, ratione originis suæ, sunt frigidi & sicci; & consequenter, omnes refrigerant & exsiccant.*

4. *Pro varietate locorum & regionum, venti diuersas induunt qualitates.*

5. *Venti, pro temporum ratione, & æstus ac frigoris varietate, Solis accessu recessuq; per vices commutantur:*

*motumq; eorum, Sol tàm ortu suo quàm occasu, & auget, & comprimit.*

6. *Præter communes omnium, dantur singulorum ventorum propriæ affectiones.* Et Septentrionales quidem, præ omnibus sunt frigidi & sicci, ob idq; sereni. In specie verò Septentrio, qui & Aquilo, & Aparctias, cæteris gelosior. Meses, lateralis Aparctiæ versus ortum, Aristoteli est & humidus præter frigiditatem, vnde & niuosus. Trascias collateralis versus occasum, remißior in frigiditate & siccitate: & si materiam nactus fuerit, grandinem parit. Orientales, sunt calidi & sicci temperatè, idq; æstate, hyeme gelidi, sigillatim Subsolanus seu Apeliotes, qui & caliditate sua abscindit pluuias. Eurus seu Vulturnus ab ortu hyemali spirans, licet sit calidus & siccus, successu tamen temporis fit humidus & pluuiosus. Cæcias ab ortu æstiuo flans, reliquis minùs calidus, imo eorum comparatione, frigidus est: idem non parum humidus: vnde Aristoteles dicit, eum cœlum vehementer nubibus densare. Meridionales, sunt calidi & humidi, vnde & pluuiosi. Auster quidem seu Notus, cùm Lybanoto ab Aristotele omisso, non calidi tantùm, sed maximè humidi ad loca nostra accedunt. Phœnicias verò collateralis Austri versus ortum, minùs talis est. Occidentales, sunt frigidi, & humidi temperatè. Fauonius ipse seu Zephyrus, licet ad frigiditatem vergat, tamen est tepidus potius, vnde & serenus. Argestes qui & Corus ad latus Fauonii Boreale, præ reliquis occidentalibus frigidior, ideó & grandinosus. Africus seu Lybs lateralis versus Austrum, subfrigidus, sed benè humidus.

# Conclusio IV.

**Omnes Venti, qualitatibus suis, in regionibus sibi peculiariter expositis, certos effectus edunt.**

# Corollaria.

1. *Præter illas affectiones, quæ ventis tàm ab intrà quàm extrà deseruiunt, actiones quoq;, à natura & qualitatibus eorum prouenientes, illis sunt assignandæ.*

2. Pro qua-

2. *Pro qualitatum, quibus imbuuntur, excessu vel mediocritate & tẽperie, venti alij morbosiores, alij salubriores.*

3. *In locis, Septentrionalibus ventis expositis, AQVÆ, fluuiales potissimùm & detectæ, duræ sunt & frigidæ, ideoq; à calore nostro interno difficulter vincuntur: subterraneæ, calidæ esse possunt. Detectæ magna ex parte insipidæ sunt, ad dulces tamen proximè accedunt, (non tamen sunt verè dulces) ideoq; sunt ex genere optimarum aquarum. HOMINES, robusti sunt & sicci. Ventres eorum inferni duri, hoc est, adstricti & sicci: superiores verò laxiores, seu magis aperti: ob idq; sæpè fluxionibus tentantur. Iidem calidi, & sine excessu biliosi sunt. Capita habent sana, dura. Edaces sunt. Non multùm afficiuntur siti præternaturali, ea scilicet, quæ fit ob aduentum caloris aduentitij: nam ea, quæ ex absumpta aut diminuta alimentali humiditate oritur, valdè eos affici verisimile est: ita, & potus satis magnam quantitatem ferre possunt. Magis sunt longæui, quàm qui Meridiem incolunt: modò tamen non sit summus excessus frigidi. Congenitis animi moribus, agrestioribus quàm mitioribus sunt præditi. Seriùs pubescunt. Morbi acuti, continuas febres adiunctas habentes, communes sunt viris: Pleuritides quoq;, & peripneumoniæ. Vasorum & venarum durities, & consequenter earum rupturæ. Ophtalmiæ fiunt siccæ, duræ, vehementes. Iunioribus triginta annis, æstate vehementes & fortes eueniunt sanguinis è naribus fluxiones.*

*Morbi ſacri, pauci quidem, at vehementes in hoc ſitu contingunt. Mulieres multæ ſunt ſteriles: Difficulter pariunt: Rarius abortiunt.*

4. *Loca Auſtrum ſpectantia, multis aquis referta ſunt. Aquæ autem hæ ſubſalſæ ſunt, potiſſimùm in locis maritimis, aut à mari non multùm remotis; in regionibus quoq; verſùs torridam zonam ſitis. Homines capita humida & pituitoſa naturaliter habent: vnde ſenſus omnes torpere ſenſitoriaq; humeſcere, & mentis aciem remitti neceſſe eſt. Aluum habent lubricã: Cibi appetitum deiectum: Potus copiam non deſiderant: Vini copiam, citra noxam inſignem non admittunt. Mulieres viris magis ſunt morbis obnoxiæ; præcipuè fluxionibus. Eædem plerumq; ſteriles eſſe ſolent, quod quidem non à natura ijs prouenit, ſed à morbo: Abortus fiunt frequentes. Pueri conuulſionibus ſæpè laborant: ijſdem epilepſia accidit. Viris dyſenteriæ familiares: Ophtalmiæ quoq; humidæ, nempè quæ à ſanguine pituitoſo bili admixto oriuntur, quæq; grauitatem inſignem, caliditatem verò & rubedinem exiguam habent adiunctã; eæ tamen & leues, & breues. Acuti verò morbi, qui à materia calida & acri generantur, licet alioquin viris familiares, in hac Auſtrina conſtitutione raro contingunt. Senibus quinquageſimum ætatis annum tranſgreſſis, paraplexiæ, ſiue particulares apoplexiæ contingunt.*

5. *Loca ventis Orientalibus expoſita, aquas habent limpidiores & ſplendidiores. Hæ Olfactui gratæ ſunt, vnde & odoratæ non nunquam dicuntur: eædem molles ſunt &*

conco-

*concoctioni faciles. Hominum formæ, melius sunt coloratæ & floridæ, quàm in alijs tractibus. Iidem ad iram vitiosam procliues non sunt. Morbis paucioribus & mitioribus sunt obnoxij: Mulieres sunt fæcundæ.*

*6. Occidentalibus ventis loca exposita, potius sunt morbosa quam salubria. Aquæ huius situs non sunt splendidæ, crudæ. Homines sunt debiles: Morbis ferè omnibus obnoxij: Graui voce præditi & rauci. Situs loci similis Autumno.*

Sub fælicibus auſpiciis Admodum Reuerendi & Magnifici Domini M. BASILII GOLINII, Sacræ Theol. Doctoris & Profeſſoris, Canonici Crac, Facultatis Theol. Decani. Generalis Academiæ Crac. RECTORIS.